



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 6. Quid est usura & quotuplex?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

non assequeretur finem suum, nec satis provi-  
sum esset securitati parentum, & aliis incom-  
modis, ac criminibus ex illis mutuis sequi na-  
tis. Unde huic privilegio Filius familias re-  
nunciare non potest, quia non in ejus favorem  
præcisè, sed præcipuè parentum, & ad aver-  
tenda gravia mala concessum est. Nec hoc  
mutuum confirmari potest juramento, cum  
sit in detrimentum tertii, & boni publici. Et  
jurans potest saltem petere relaxationem jura-  
menti, quâ obtenta ad nihil tenebitur. Idem  
dic si Filio familias merces fuerunt venditæ  
credito, vel aliæ res mutuò datæ in fraudem le-  
gis, ut scilicet ex illis venditis pecuniam com-  
pararet, l. 3. ff. ad senat. consul. maced.

Q. 6. Quid est usura, & quotuplex?

Resp. I. Usura latè sumpta est quodlibet lu-  
crum sive licitum, sive illicitum, vel fructus ex  
aliqua re perceptus. Strictè sumpta, ut hîc  
sumitur, est lucrum temporale præcisè ratione  
mutui perceptum, vel quasitum: sive lucrum  
immediatè ex mutuo proveniens, aut inten-  
tum.

Dicitur I. *Lucrum temporale*, id est, pecu-  
nia, vel quidlibet pretio æstimabile; nam (ut  
ait S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2.) *Secundùm Phi-  
losophum omne illud pro pecunia habetur, cujus  
pretium potest pecuniâ mensurari.* Hinc non est  
usura mutuare ad acquirendam amicitiam

alterius : quia hæc non est pretio æstimabilis.

2. *Ratione mutui*, sive expressi, ac formalis, sive virtualis, ac impliciti. Unde lucrum aliunde proveniens potest esse injustum, nec tamen usurarium, ut excessus justii preni ex re vendita. Econtra quidquid pretio æstimabile ultra sortem reddendam, sive ante, sive post mutuum datum, exigitur, vel accipitur tanquam ex mutuo debitum, usura est. Mutuo tamen gratis dato, si quid sponte, ac liberaliter offeratur, id mutuans licitè accipit, non quasi exigens nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. ait S. Thom. q. 78. a. 2. sed in praxi non licet aliquid accipere à pauperibus, & rarò ab aliis licet: quia rarò donant sponte, ac liberaliter; sed plerumque dant solùm, vel ad ulteriorem dilationem solutionis obtinendam, vel ex metu, ne aliàs mutuum deinceps recusetur.

*Resp. II.* Usura multiplex est, scilicet realis, mentalis, aperta, & palliata. Realis est ea, quæ in mutuo deducitur in pactum sive expressum, sive implicitum: ut cum mutuans expressè, vel implicitè declarat se velle, aut expectare aliquid suprà sortem. Mentalis est, cum quis mutuatur ex intentione aliquod lucrum ex mutuo percipiendi, talem intentionem non significans

ficans ei, cui mutuatur, licet eam exterius exequatur sed occultè, & præcisè mutuando. Unde usura alio sensu dicitur mentalis, quàm alia peccata dicantur mentalia; hæc enim sic vocantur, quamdiu actu externo non consummantur: at usura dicitur mentalis, quatenus nullum pactum supponit, quamvis datione mutui, & receptione lucri exterius impleatur; sola enim voluntas percipiendi lucrum ex mutuo, si mutuum non detur, est usura purè mentalis.

Usura aperta est ea, quæ percipitur ex mutuo explicito cum pacto expresso lucri. Palliata seu implicita est ea, quæ provenit ex mutuo implicito ac virtuali, latente sub alio contractu, v. g. venditionis, depositi, &c. Qui tamen sit, vel includat virtualiter mutuum. Unde est vera usura, sed velata aliquo prætextu: ut si deponas apud Titium aliquid in pondere, numero, vel mensura consistens, data ei facultate utendi, & ad libitum disponendi, cum pacto ut pro usu aliquid ultra capitale solvat: nam tunc est re ipsa mutuum, l. 9. ff. de rebus credit. & sic lucrum inde proveniens est usura.

Q. 7. An & quo jure usura est prohibita?

Resp. Quælibet usura omni jure prohibita est. Et r. quidem Jure divino positivo Ezech. 18. ubi Deus de dante ad usuram, & amplius

Ef 3

acci-